Reverende Pater in Christo

Quod R.V. et P. Henschenius dignati sint veteris servi et amici, gratias habeo quas possum maximas. Dubia vestra circa etymon nonnullorum vocabulorum examinavi, et ad singula paucis respondeo. Manuthia in arabica lingua nil aliud significat, quam munitiones sive munimina, et dicebantur eam ob causam ita, quod seorsim ab omni non solum mundani tumultus strepitu remoti contra tentationes munirentur, sed etiam quod cellae singulae ab invicem secretae, saepe aut maceria quadam ad improvisum aliorum aditum veluti munirentur, quae ab hebraica et syriaca non abludunt. Fuit autem lingua arabica vel ab ipsis Christi temporibus in Aegypto vicinisque partibus vulgaris, et passim Ysraelitica sive Madianitica tum ab Hebraeis, tum ab Arabibus dicta.

مناعة / manathia munitiones

Ad alterum nomen Φωσσάτον quod attinet recte indicat R.V. fossatum significare id est fossamentum(?) et idem eam significat, quod manuthi, id est munitiones, nisi quod illud arabicum, hoc a Romanis qui tunc temporis in iis regionibus rerum potiebantur introductum fuerit. Huiusmodi enim passim omnes Orientalium libri pleni sunt, ut proinde de ea nullum dubium esse debeat.

est enim myxobarbarum

Ad 3 quod attinet. Sciat R.V. magnum semper dissidium fuisse inter Agarenos et Saracenos; unde in mutua odia exardescentes, mutuis se invicem opprobriis vexare visi sunt. Saraceni qui se a Sara originem trahere gloriabantur, Agarenos utpote ab Agar originem ducentes, velut spurios et adulterinos appellabant. Agareni contra Saracenos non a Sara sed a verbo arabico Sarac, quod furem et latronem significat, quasi vagabundos, impios et scelestos ~~latrones~~ et latrocinatores, dicebant. ~~Sed si~~ Unde sive ea vox a Sara, sive a Sarac derivetur, semper geminam etymi rationem includit, primam a Sara uxore Abrahami, communi omnium opinione primo fuit deducta, alteram vero ad exprobrandum et contumeliam inimicae gentis ab Agarenis fuit confictam. Unde qui de hisce plura desiderat consulat in 2 tomo Oedipi fol. 362. de origine Cabalae Saracenicae.

سراق Sarac

Ad 4 nomen Laura quod attinet, illud Syro-hebraeum pariter vocabulum est, et mansionem significat, sive quod idem est hospitium; et optime congruit veterum monachorum in Palaestina asceteriis. Atque haec sunt, quae R.V. paucis indicare volui, potuissem haec variis authoritatibus stabilire, sed temporis angustiae id non permiserunt. Vale mei [illegible] in tuis SS. sacrificiis haud immemor [illegible] salutantes.

[illegible] Laura — [illegible] lun luna

Romae 9 Julij 1663

R.V. servus in Christo
Athanasius Kircher